

D. D.  
DISSERTATIO GRADUALIS,

De  
**NEXU**  
INTER  
**MATHESEN**  
ET  
**PHYSICAM,**

QUAM

*Consent. Ampliss. Facult. Philosoph.*

*in Regia Acad. Aboënsi*

PRÆSIDE

*VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,*

**D: NO MAG. JACOBO  
GADOLIN,**

OBS. ASTRON. REG. & PHILOS. PROF. EXTRAORD.

*Nec non*

REG. ACAD. SCIENT. MEMERO.

*Publice defendet*

**CHRISTIANUS BÅSKERLUND /**

*OSTROB.*

In Audit. Super. d. XXVI. Jun. MDCCLI.

---

ABOÆ, Impresit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

Baco De Verulam. de augm. Scient.

Multae Naturae partes, nec satis subtiliter comprehendendi, nec satis perspicue demonstrari, nec satis dextre & certo ad usum accommodari possunt, si ne ope & interventu Mathematicae.



B. C. D.

§. I.

**S**i quæ scientia in perfectionis fulgeat apice, si cui præ aliis deferri palma mereatur, *Mathesis* sine dubio inter omnes, palcherrima hac lætatur prærogativa. Scientia hæc circa quantitates omnes, quas concipere valet mens humana versatur. Qvum vero has per se cognoscere haud potest, alias aliunde notas sibi dari postulat, ad quas incognititas refert, quæque de iis constant, sic eruit ex puto, plus quam Democriteo. Primum quidem inter magnitudines simplicissimas tenuis est, verum sensim ex harum combinatione, in immensum crescit. Sæpe quoque videtur infra simplicitatis finem descendere, unitatem frangendo in partes, resolutione nunquam terminanda. Quicquid de simplicibus his magnitudinibus ei innotescit, omnem illam abstrahendo acquirit notitiam, nullo sensuum concursu intermixtam. Concedimus tamen, has notiones, primum sensuum ope comparatas fuisse, rerum quasi cortices intuendo, tandem vero ita familiares factæ sunt, ut mentales modo existant, nec a prægressa pendere videantur sensatione. Ejusmodi quantitates non uno modo considerari possunt:

A

sunt : interdum enim ex partibus compositas se sistunt, & ad earum congeriem attenditur. Hunc agnoscit *Numerus ortum* : estque de eo disciplina simplicissima, adeoque reliquis fundamentalis. Alia vero quantitatis proprietas est, continua esse, tumque non modo ad magnitudines extensorum, verum & ad coordinacionem earum partium inter se attenditur. Quantitas hæc continua in triplicem extenditur dimensionem, longitudinem, latitudinem & profunditatem, deque his quæ agit scientia priori superstruitur : simul vero suam exserunt vim applicata ad corpora naturalia. Nam Mathesis hæc pura notiones quas abstraxit e corporibus, iis iterum reddit, & notiones suas mentales in concreto considerat. Tradit præterea Mathesis exi-  
mum quoddam artificium æstimandi alia quævis quan-  
ta, instituta comparatione eorum cum iis quantis,  
quæ maxime sunt heterogenea. Quemadmodum enim  
in Geometria superficierum & corporum quantitates  
lineis designantur & vice versa ; ita & rerum natura-  
lium affectiones mensurabiles non solum numeris sed  
& lineis, superficiebus aut solidis exprimuntur in Phy-  
sica Mathematica. Hoc ortum dedit *Mathesi mixta* :  
cujus partes pro diversa corporum naturalium indole  
variant, unamque altera universaliorum esse depre-  
hendimus.

## §. II.

**H**ec corpora eorumque proprietates a priori dete-  
gere, cum mortalibus datum non sit, sensuum  
ope, nitendum est, quo in lato hoc admirationis aper-  
to cam.

to campo ad absconditos naturæ recessus penetrare li-  
ceat. Quascunque vero mutationes subire corpora a-  
nimadvertisimus, certis e caussis pendent, adeo ut in  
præcedenti eorum conditione semper præsentis ratio  
contineatur. Patent quidem caussæ hæ non raro, ut  
effectum ex iis enatum tuisle minime dubitemus: ast  
sæpius de effectibus quidem satis constat, quibus ve-  
ro regantur caussis, ignotum est, suntque illæ inter-  
dum tantis involutæ tenebris, ut ad eas investigandas  
omnis ponenda sit spes. Quantum tamen de rebus na-  
turalibus, exrumque caussis, nobis scire concessum est,  
scientiam absolvit, quam *Physicam* dixere. Hujus est,  
vires & effectus rerum naturalium perpendere: & ex  
principiis genuinis singulorum caussas legitima deduc-  
cere conclusione: atque ex infinitis phænomenis col-  
lectis, universales naturæ leges eruere. Sunt ejus do-  
minio subjecta, omnia quæ suo includit ambitu natu-  
ra; non ea modo corpora, quæ tellurem constituunt  
& ornant, sed & totum sidereum regnum. Quicquid  
de tot objectis ei innotescit, triplici cognitione intelli-  
git: vel enim phænomena ut sunt, simpliciter scire  
cupit, & in *Historica* acquiescit cognitione, quæ qui-  
dem prima principia offert, minime tamen sciendi de-  
siderio satisfacientia, unde semper altius mens huma-  
na ascendere avet, & factorum perspicere caussas,  
quæque adsit ratio, cur hoc potius nec alio modo con-  
tigerit phænomenon. *Philosophica* hæc cognitio, prio-  
ri quidem antecellit, imperfecta tamen censenda est,  
donec quantitatem phænomenorum per suas caussas,

& quantitatem causarum per phænomena exacte metiri valeat: in eo deludat stadio cognitio Mathematica, quæ scientiam rerum naturalium ad eminens hocce at tollit fastigium. Ut vero per hos cognitionis gradus ascendat, naturam aggreditur, observationibus & experimentis, & dum ad normam omnia dirigit, eam ad ponendos cortices cogit. Hinc enascitur *Experimentalis physica*, quæ *Dogmaticæ* ex suis periculis eruendas conclusiones tradit.

## §. III.

**D**Uplicem hanc physicam multo perfectiorem habemus, nisi rerum varietas, multitudo & distantia objicerent impedimenta, quæ plus quam læpius removent observatorem eo longius a scopo, quo propius ad eum se accessisse eredit. Indignos quoque obices ejus progressibus objecerunt *Peripatetici*, male philosophantium cohors, verborum nihil designantium ampullis scientiam obtusans: negligens aut nolens veritatis calcare viam, a *Pythagoricis* & *Platonicis* pressam, qui scientiam quantitatis ad solvenda naturæ phænomena necessariam duxerunt. Nostra ætas, probe videt scientiam hancce sibi relictam nunquam exuere notam tarraginis observationum & experimentorum, nisi aliunde advocentur adminicula, quibus indomiti rerum effectus suis alligentur caussis. Hæc petenda e Mathesi judicavit, & læterior *Physicæ* facies hoc instituto incepto, id confirmavit. Nec mirum, tam svave has disciplinas intercedere connubium. Omnia enim corpora sunt quanta, in longum, latum & pro-

profundum extensa ; quascunque igitur hæ notiones abstrætæ consideratæ in Geometria involvunt proprietates, has corporibus applicatas, veras invenimus. Nec langvet hic *Geometrica methodus*, a simplicissimis ad magis composita progredi aſſerta; hinc & applicata Physicæ, res naturales considerat, quales ederent effectus nullis obſtantibus impedimentis, quo facilior iis admissis, effectuum iniri possit calculus : hoc pri-  
mum abſtrahendo peragitur, sine respectu corporis ex hac illave materia constantis, in hoc illove agentis medio. Ingenue quidem tatemur, rigiditatem metho-  
di Mathematicæ, nos non ſtricte ſequi poſſe, princi-  
pia ſi ſpectes, cum definitiones ipam non exhaustant  
eſſentiam rerum, cumque cauſæ ultimæ ubique tere  
lateant : ſatis tamen habemus, ſi rem indigitatam ab  
aliis diſtincte & clare diſtingvamus, quam cognitio-  
nem experientia nobis exhibet, adeo ut pro indubita-  
ta poſſit haberi : unde ſequitur hæc funda-  
menta ſua certitudine & evidētia rādiare, ut quæcunque iis lu-  
perſtruantur, non patiantur ruinam. Felix igitur hoc  
commercio ſcientia Naturalis, quæ funda-  
menta ſua ponit, concurrente ſcientia omnes vincente ſorores  
certitudine, ſimplicitate, indubia veritate aſſumtorum,  
& legitima ratiocinatione. Effectum hinc eſt, ut tere  
omnia, quæ de rebus naturalibus indubia constant de-  
monſtratione, ſtatim ad Matheſin applicatam relata  
ſint. Nec facile pertractabit aliquis Physicam hodie,  
niſi miſlo hypotheſium vano apparatu : veritatibus u-  
tatur Geometricarum demonſtrationum rigore ſolida-  
tis.

tis. Hinc non inepte dixit Cel. Wolffius : *Philosophia Naturalis scripta est in maximo isto libro, qui continuo nobis ante oculos jacet apertus (universum hoc ajo); sed nihil aut in eo legi, aut intelligi poterit, nisi prius addiscatur Idioma, quo enarratum est. Characteres ejus sunt Triangula, circuiti & alia figura Geometrica; sine istarum cognitione ne verbum quidem intelligitur; sine iis idem est, ac in tenebroso Labyrintho inaniter vagari.*

## §. IV.

**I**ntra attributa corporum eminet *Extensio*, quæ tam constanter inest illis, ut multos compulerit eam in opinionem, essentiam eorum integrā latere in unico hoc attributo. Quoniam itaque corpus partibus constat, quæsitum est, an pervenire possibile sit ad ultimam partem in minores ulterius non divisibilem? Si de facto instituitur quæstio hæc, quidam ex naturæ phænomenis affirmativam sententiam se defendere posse sibi visi sunt; sed si sola possibilitas divisionis intelligatur, admissis argumentis Geometricis indubie demonstratur, nullam assignari posse particulam tam exiguum, quin adhuc ulterius dividī possit. Linea quævis data, in minores lineas fecatur absque termino, superficies itidem in suas partes quotcunque, & corpus in alia corpuscula, quæ tamen omnia simul luma luam lineam, superficiem, vel suum corpus compleant. Huc pertinent omnia illa argumenta, quibus stupendam materię subtilitatem calculo evincunt & determinant Mathematici. Videmus corpora suis cingi limitibus, quibus certo modo constitutis unum ab altero

tero distinguitur. Hinc extensionis genuina filia *Figurabilitas*, quæ limites corporis designat. Corpus quidem quocunque in tres dimensiones sese terminat, sed quia dimensiones hæc infinite variare possunt, figurabilitas quoque in singulis corporibus multis ludere potest modis. Quæcunque autem existat corporis cuiusvis figura, ad menturas ea semper revocari poterit, adeoque & ipsius corporis magnitudo perinde facile investigari. Dupli autem ratione corporis cuiusvis dati magnitudo æstimata intelligitur; aut enim attenditur ad integrum volumen, quod corporis figura extima comprehendit, e. g. dum pes cubicus auri æqualis dicitur pedi cubico aquæ; aut respicitur ipsa quantitas corporis solidi separatim a poris sub eodem corporis volumine contentis, quo respectu pes cubicus auri majus est corpus quam pes cubicus aquæ. Posterior hæc ratio mensurandi corpora inter desiderata refertur, quæ tamen eadem facilitate atque illa prior expediri posset, si modo habeatur quoddam corpus nullis poris imprægnatum, aut si vel in unico quovis corpore utcunque poroso detegi queat ratio ipsius voluminis integri ad quantitatem corporis solidi, quod eodem volumine continetur. Hic memoratu digna est, illa agitata quæstio de *vacuo spatio*, seu de extenso in tres dimensiones, quod tamen non sit corpus physicum, quod multis licet impugnatum argumentis, Mathematicis tamen fortissime adstruitur, materiem omnem circulantem per corporum poros fortissime repellentibus.

## §. V.

**V**is inertiae, efficit ut corpus non sine renixu de suo statu quiescendi vel movendi deturbetur. Cum itaque omnis mutatio in corporibus per motum fieri videatur, quis non perspicit, mancam valde fore rerum naturalium scientiam, nisi hanc ipsam vim determinare Mathematici docuissent. Huc pertinent Leges Motus illæ universalissimæ, quibus inventis novam protulit Augusta hæc scientia faciem, nigro quasi velamine antea celatam. Metimur quantitatem vis inertiae quantitati corporeæ proportionalem esse: quantæ requirantur vires ad hanc vim superandam, secundum quascunque directiones: aut corpore moto irruente in quiescens, aut motis ambobus, secundum eandem vel diversas plagas, directe, oblique vel contrarie impingendo. Vires corporum motorum: motusque ad invicem comparatos determinamus, sive sint corpora æqualia, vel non: eadem aut diversa velocitate lata, viribus existentibus æqualibus aut inæqualibus. Quid æqualitatis aut discriminis in virium jactura contingat corporibus percutientibus se invicem: aut moto in quiescens impingente: aut celeriori assequente lentius præcedens: aut contraria directione impingentibus in se mutuo: & hæc omnia vel in molibus, elasticis & si darentur perfecte duris aut perfecte fluidis: etiam velocitatis ante & post percussionem, discriminem; omnia ista Geometrica determinatione in lucem ponimus. Longe plurima omnino nobis pandit inertiae hujus theoria, quæ maxima cum admiratione cogno scimus:

gnoscimus: e. g. quæ ad scientiam navalem pertinet, constructio solidi minimæ resistentiæ, cæteraque quæ per universalem solidorum in fluidis motorum resistentiam explicantur. Verum proposita nobis brevitas vetat vel summatim cuncta recensere ista.

## §. VI.

**G**ravitatis phænomena ut maxime universalia sunt; ita largissimo ratiocinationum fonte scaturiunt. Motus corporum gravium, dum vel e quiete per spatiū aliquod versus terram descendunt, in medio resistente vel in vacuo: aut dum sursum vel oblique projiciuntur, Geometrice explicantur. Hinc pendet quicquid de centro gravitatis, oscillationis atque universo pendulorum motu cognoscitur, quod ipsum non solum spectat ad variarum machinarum usum plenius intelligendum, sed etiam ad ipsas naturæ vires penitus pernoscendas. Vis gravitatis deprimit quidem corpora versus loca interiora; verum tamen ejus theoria non sinit sui amatores æque humiliter serpere, sed ad sublimia cœli sidera potius eorum cogitationes ducit, atque simplicissima eaque maxime harmonica ratione integrum quæqua patet *systema planetarium* compositum esse & cohærere palam facit. Planetas & Cometas per vasta cœli spatia errare videmus, quorum vias ellipticas esse, Sole alterum focum tenente, docet, inque iis ea lege moveri, ut radius a Sole ad illos ductus describat se & tores temporibus proportionales. Distantiam planetarum a tellure indagat, in quovis periodi lo-

co. Differunt omnes magnitudine, pro ratione distantiarum a Sole; has magnitudines quam proxime fieri potest investigat Mathematicus: Nec is ignorat motum satellitum circa Planetas primarios, & eorum inæqualitates, atque diversas ab iis distantiæ, magnitudines & densitates. Omnia sidera figura gaudent rotunda, sed quamnam rotunditatis possideant speciem solus dicere audet; tuncque vi legum centralium, dimensionum, decrementorum gravitatis corporis a polo ad æquatorem translati, figuram iis tribuit sphæroideam. Etiam id theoriæ gravitatis debemus, quod magnitudinem figuramq; telluris revocatis in subsidium principiis Astronomiæ, ausi sint determinare, Mathematici. Adeo phænomenon, quod constat valde torsisse antiquos causarum intelligibilium Scrutatores, qui etiam si insigues essent Geometræ, nihilominus tamen pro ratione istius ævi, speculationibus suis mathematicis ad vires naturæ explicandas nondum adtiverant uti, scilicet ille ex gravitatione Lunæ ipsiusque Solis in tellurem & telluris in illa vicissim oriundus particularum aquearum motus, quem *astum*, seu *fluxum* & *refluxum maris* vocant: hic determinandum est, in quo loco magis attollatur aqua, quam in alio, & quo tempore, quibusque viribus Sol & Luna mare agitant. Igitur cum tam late per naturæ regnum te extendat Gravitationis dominium, tantasque res moliatur; nemo facile mirabitur Mathesin in Physica necessariaq; pronuntiari.

## §. VII.

*V*m attractionis, quæ efficit ut corpora a se remota ad se mutuo accedant nulla animadversa vi exterius urgente, subjicit demonstrationum suarum dominio Geometra: inquirit in sphäram intra quam corpus in alterum agit, & ad quos decrescat gradus, quemque torte attingat, ut in vim repulsionis abeat. Differentiam harum virium, calculo subducere conatur: intervalla designat in quibus debilius aut fortius trahuntur, usque dum ad contactum perveniant, hic coagulationes, chrystallisationes, a partium varia vi incurrendi, figura, magnitudine explicandas aggreditur. Neque admiranda magnetis phænomena præterit, adhuc in plurimis universales respuentia leges. Ascensum fluidi inter specula vitrea plana, novit, qualemque formet aqua curvam: cui mercurius oppositam prodit: ascensum fluidi in tubos vitreos capillares diversarum longitudinum sed ejusdem diametri: vel diversarum; alcenarum variorum fluidorum in eosdem tubos: vel in rectos diversam diametrum in sua longitudine continentes, in tubos inflexos æqualis vel inæqualis diametri: inque tubos sibi mutuo immislos. Est quoddam genus attractionis, quod particulas singulas uniuscujusque corporis in suo cum toto nexo retinet, quæ *Cohærentia* appellari solet: In hac palæstra se exercuit & adhuc exercere potest Physico-Geometra: heic vectium & fulcrorum situs, momentum rationes, potentiarum directiones confiderat:

derat: solidis existentibus paraboloidibus, elliptoidibus, Hyperboloidibus aliisque. Rationem denique inter cohærentiam absolutam & respectivam: corporibus non solum rigidis, verum flexilibus, tenuibusque fractionis non momentaneum<sup>1</sup>, sed & successivum. Corporum variæ altitudinis cohærentiam Respectivam esse in altitudinis ratione duplicata: cohærentiam esse in proportione punctorum contactus: & vires esse ut superficies: hinc flexilitatis & fragilitatis, aliæque notiones eruuntur. Inquirit in modos quibus ars & natura utuntur ad corpora componenda ut cohærent. Regulam tradit secundum quam resistentia omnium corporum respectivæ ex absoluta determinari possunt: curvam definit a solidis elasticis, dum franguntur, descriptam. Regula universali data, determinante proportionem inter cohærentiam absolutam & respectivam solidorum, demonstratur quanta est alterutra cohærentia corporis dati, postquam ope experimenti prius exploretur cohærentia absoluta aut respectiva illius corporis: experimenta instituta cum omnibus corporum generibus, Geometræ ansam dabit calculi ope determinandi firmitatem corporis datæ materiei, figuræ & magnitudinibus.

## §. VIII.

**I**NTER modos in corporibus præsentes, numeratur quoque *Elasticitas*: quæ & occasionem præbet Geometræ, suum exercendi in ejus phænomena acumen. Examinat qua corpus tendatur vi ad producen.

ducendam elasticitatem : quandoque eam amittat : chordarum æqualiter vel inæqualiter tensarum tempora vibrationum : earum diversam crassitatem : productionem fibræ sequentis proportionem vis productentis. Deinde corporum elasticorum directe impingentium regulas tradit : rationem ictus obliqui ad calum perpendicularem eadem celeritate : oblique impingentium notus post occursum : inflexiones partium quomodo se habeant ad vim introprementem : relaxations ad tempora : elasticæ sphæræ, velocitatibus diversis, ad maculas. Inter fluida gaudet *aer* elasticitate & ea quidem destructibili : quæ in eo est ut densitas : occupatque aer compressus spatia quæ rationem sequuntur inversam ponderum comprimentium : hinc repulso particularum aërearum : compressionis deinde gradus investigandi sunt : & extensiones particularum sibi libere commissarum : unde atmosphæræ altitudo, & minori vi compressi aëris superioris dilatatio per ampliora spatia , designatur. Ex elasticitate aëris & multum dependent venti, a turbato æquilibrio atmosphæræ ortum ducentes : horum vim, rapiditatem plegasque figit. *Sonus* phænomenon illud, ab elasticitate aëris enatum , rigidis Geometriæ regitur legibus ; nimirum in aëre per undas propagatur , a corpore sonoro excitatus tremulus motus. Undarum harum distantiae in aëre mensurantur, celeritasque soni in spatio dato , percurrendo : reflexio undarum in currentium in obices elasticos : multiplicatio reflexionum quo artificio excitanda , & quæ structura ædium huic

huic fini conducedentium : reflexio soni in tubis , & quæ sit figura eorum optima. Propagatio denique ejus per canales, tubasque, scientiæ nostræ ope explicantur.

## S. IX.

**C**orpore fluida speciale merentur considerationem. Ex partium æquali gravitate & lubricitate sequitur illud non absque superficie horizontali in æquilibrio manere. Duce Geometria institutisque experimentis investigantur vires attractrices particulorum inter se , quam in variis fluidis variam esse observamus : unde coherentiam partium majorem minorremve invenimus : incrementam & decrementam vis attractricis fluidi ad fluidum, fluidique ad solidum. Facilitatem fluidi emittendi particulas , quam evaporationem dicimus, dum surgunt in aera, determinamus pro ratione superficierum. Pressionem fluidorum in fundum & latera valorum , quibus continentur, nec non mutuam actionem columnarum fluidi , in quas distinctum concipitur , particularumque superiorum in inferiores : altitudinem fluidi in tubis communicantibus æqualibus , vel in æqualibus : rectis seu obliquis: seu fluida sint ejusdem aut diversæ gravitatis: vel si diversæ gravitatis fluida sint in eodem tubo. Hinc pendet adscensus mercurii in tubo vitro, qui Barometri nomine circumfertur. Gravia fluidis immersa nobilem suppeditant Geometrizandi materiem : quippe corpora fluidis immerita ab ambientibus fluidi columnis prementur : idque pro ratione densitatis fluidi, qualiter & guttæ unius fluidi in altero premantur. Ratio partium immer-

immersarum corporis in fluido natantis ad ejusdem molem integrum. Artificium diversa solida æstimandi in eodem fluido immersa, seu eorum gravitates specificas : & inde explicatur effluviorum ascensus in atmosphæram , ad diversam altitudinem secundum diuersam gravitatem specificam : & in quo loco aëris hærent immobiles , quæque sint leges descensus eorum. Latissime doctrina de motu fluidorum patet quantum Mathematicis legibus cogitur : his enim determinatur velocitas quæ pressione communicatur : fluidis ex foramine profilientibus : verticali aut ad horizontem inclinata directione: fluidi profilientis altitudes diversæ ; quantitas fluidi e valis profluentis, ratione temporis foraminumque. Non ignorat Geometra cursum fluminum : in quibus celeritatem particularum determinat : retardationem ejusque vires : aut accelerationes fluidi , pro ratione inclinationis aut coarctationis canalis: diversitatem fluminum seu regularium: seu irregularium, tumque ad prominentias attendit earumque resistentiam , & impetum fluidi in illas : quidve tum mutationis flumen cursus subeant: quid fundi mutatio producat: quantum ad flumina sistenda requiratur virium. Si superficie fluidi fovea imprimatur & cavum fiat , ascendit fluidum circa cavitatem, & denuo vi gravitatis descendit, undasque format. In his considerat Mathematicus undas in obstaculum currentes, quo in puncto mutationem patientur : vel quid obstaculo inclinato aut in eo foramine dato : quid undæ variæ se in sequentes aut occurren-

tes

tes in quascunque plagas in se invicem agant : deinde determinat earum celeritatem , volventium se lentius aut rapidius. Mensurat impetum fluidi in corpus incur- rentis: ejusque retardationem & particularum attri- tum. Ultimo machinas hydraulicas construere docet.

## §. X.

**N**on supersunt amplius illa tempora , quibus *Optica* artis instar tractata fuit, & magnam Magiae partem absolvebat , alia jam facie lucet, *Lucis Theoria*. Revocati sub legum Mathematicarum imperium sunt radii luminis utcunque subtile : quod illud verum sit, quam brevissime dispiendum. Media considerat Geometra, per quæ transeunt radii: eorumque vires attrac- trices, quo usq; se extendunt, quidve pro diversa den- sitate in radios agant : refractorum leges præbet, in magis attrahens medium incidentium, qui ad perpen- diculum refringuntur, in rarius recedentium a perpen- diculo. Sinus anguli incidentiæ & retractionis rationem investigat, radiis transeuntibus per omnis generis flu- da, per laminas tenues, perq; media quæcunque: super- ficiebus existentibus vel planis vel curvis : subtiliter in radiorum inflexionem inquirit. Proprietates lentium sicut, earumq; figuram, quidve lumini per concavas, convexas, & meniscos transeunti multipliciter accidat. Quomodo se habeat visio per vitra; hinc constructio- nem, rationem usumq; microscopiorum & telescopio- rum explicat. Radiorum solarium diversam refrangi- bilitatem docet, & exinde explicanda colorum phæno- mena. Quæ circa visionem magnitudinis, figuræ, loci, motus,

motus, admirari mereantur, exhibet. Luminis reflexi leges conficit, dum incidit in omne genus superficie- rum politarum, tam in specula plana, quam convexa & concava, utpote in sphærica, cylindrica, pyramida- lia, parabolica, elliptica. Deinde & usum structuramq; aliarum machinarum Catoptrico-Dioptricarum præbet: & rationem vitra poliendi. Totam Perspectivam, & ejus ingeniosissima artificia, Iolus & invenit, resolvit & demonstrat. In umbra denique multum accedit lumi- nis, ejus determinando longitudinem, densitatem, fi- guram, rationemq; ad corpus opacum. Ex his funda- mentis prono deducit alveo multa phænomena, meteo- rologiæ elegantissimum absolventia caput. Formatio- nem Iridis ex radiis refractis & reflexis perspectam sibi habet: Iridisq; secundariæ & Lunariæ. Eadem facilita- te exponit quid sint Halones, Paraselenæ, & Parrhelii: eorumq; magnitudines & altitudines ei non latent.

## §. XI.

**Q**uid in tribus regnis naturæ ex Mathesi expectan- dum sit utilitatis, paucis indigitandum. Quod au- tem magnos adhuc in iisdem non fecerit progressus id imperfectioni Scientiæ tribuendum est. Regno Minerali non parum luminis Mathesis tñenerata est, quis enim ignorat in docimastica & metallurgia plurimas adhiberi machinas Mechanicas, hydraulicas & aërometricas, va- riasq; mensuras & calculationes non nisi a principiis ma- thematicis pendentes. Neq; Geometria tuberranea hinc excipienda cuius ad fodinas summus est usus. Deside- ramus autem longe plurima, in primis vero ea, quæ ad vires mineralia generantes aut componentes itemque

destruentes vel solventes distincte concipiendas harumque mensuras aestimandas pertinere possunt. Lapidés plurimos observamus in certas abire figurās, quales chryſtallorum, ſalium, & pyritum ſunt; quis autem negaverit Geometriæ aliquem fore uſum ad cognoscendam genetin regularium adeo corporum, ſi modo cognofcantur reliqua ad hanc rem requiſita principia per experientiam invenienda. Idem in *Regno Vegetabili* obtinet. Vasa in vegetabilibus examinantur, eorum menſuræ capiuntur quoad longitudinem, & diametros, ut fluidi quantitas per ea moti determinetur: ejusq; vires attractrices per ſubtiliores canales: dimensiones superficieum plantarum ad determinandam quantitatēm transpirationis, aliaq; plurima. Neq; aliter te res habet in *Regno Animali*. Videmus pro vario ſitu partium, variac; ſtructura, virium variare determinationes. Cognita ſtructura valorum, menſurantur diainetri canaliū & crassities laterum: atq; figuræ valorum fluida deferrētum, ſeu cylindricæ, ſive conicæ ſint: globuliorum fluidi crassities & eorum tenacitas ſeu vires attractionis. Gaudet tuis menſuris fluidi diversus motus pro varia figura & elasticitate valorum: ejus attritus ad latera, & quæ inde oritur molecularum comminutio. Cognosciuntur actio muſculorum, eorumque vires in ponderibus ferendis: in qua tamen doctrina multa gratis a viris doctissimis aſſumta ſunt. Calculo tamen actionem ventriculi in cibos: pulmonum ad aërem attrahendum & ejiciendum quæſivere: cordisq; ad ſanguinem in minimas uſq; ramificationes arteriarum projiciendum. Hinc remigia alarum volantium, & actiones natatorias pī-  
ſcium

scium indagandæ sunt. Mathematicus etiam vocis formationem explicat, & soni diversitatem in variis loquæ generibus: ejusque quantitatem in auditus negotio, quaque ratione structura auri conveniat ei recipiendo. Contemplatur structuram oculi, atque exinde quomodo peragatur viatio explicat.

## §. XII.

**P**AUCIS his guttulis, ex vastissimo hujus scientiæ pælago, pagellas adspersimus prælentes: quæ placebent, dignorem si noctæ fuissent auctorem, & otio & ingenio abundantem. Non enim satis hæc commendari potest materies, quæ innata fulget luce. Regina Scientiarum etiam in Physica adorari placet. Quantum est quod nescimus in rerum natura, tantum illa cooperante, oculos manusq; dirigente, ex adytis protrahitur, & in accurata penditur lance. Physicus observat, & experimenta adornat, sed quid ex his concludendum, quæ virium mensura, id reservatur ingenio mathematico, si ne quo, ceu sine Duce, per vias dubia luce delineatas errat Physicus, & palpando, casuq; plus quam fortuito aliquando rem acu tangit. Sed Geometra inter conjecturas non enutritus, filo ariadneo methodi suæ per naturæ properat mæandros: duplicum illam in promtu habet, *Syntheticam* unam, alteram *Analyticam*: prioris principia & habitum demonstrandi veneratur, sed nec alterius compendia & artificia heuristica sine admiratione iniuetur; quorum ope temporis momento solvit, dierum spatio alia methodo vix solvenda; lineola dat ea, quæ ne volumina quidem caperent alia solutione. Sicut vero non segniter procedit, sic nec rapide ad metam tendit: confi.

considerat Physicam valde compositam esse, multasq; ad unum producendum effectum concurrere causas, quæ nisi simul assumentur, quod generaliter enunciavit Geometra, in speciali s<sup>e</sup>pe non succedit, unde demonstrationum rigorem suspectum aliquis haberet. Theoreticam itaq; doctrinam suam, ut in aternum stabilem defendit, sic in praxi cauto pede componit gressus, & plurima prudentia ratiocinatur in Physica. Sapienter itaq; pro more Fontenellius monet : *Si demonstrandum foret, quantum Physica s<sup>e</sup>pe differt a Geometria, quantum realis executio rerum, distat ab eo, quod Geometra ope sui calculi expeditasset, nihil accommodatius foret, quam hoc objectum de quo agimus (loquitur de diverso adscensu fluidi in tubis amplis & capillaribus) quod non provenit, quia Geometria non ubivis obtinet sine ulla exceptione, sed est physica plerumque valde composita, nostrorumq; ratiociniorum fundamenta sunt nimis simplicia, ad accurate eos effectus asequendos qui in natura sunt. Optandum itaq; foret, ut Physici Geometrati abundarent, qui qua iret via mens humana ad intima rerum ostenderent. Auguramus, aliquando Mathesi mixtæ, partes longe plures ac hodie sunt, addi, ut tale quid de attractione, cohærentia, &c., sperandum. Tunc increscerent fructus, quos nexus inter Mathesin & Physicam profert; cum ex erectis demonstrationum apicibus longius prospiciamus ad plurima incognita, detegendo tacillima e felici hoc fastigio.*

SOLI DEO GLORIA.

